



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcopis qui se à fratrum adiutorio subtraxerint. cxxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

*De Episcopis qui se à fratrum adiutorio
subtraxerint. Cap. CXXIX.*

*Ex decr.
Alexan
dri pap.
cap. 30.
omnibus
episcopis
missis.*

QVI autem ex vestro collegio fuerit, & ab auxilio vestro se subtraxerit, magis schismaticus quam sacerdos esse probabitur. Ecce, inquit Propheta, quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnu. Illi verò non in vnum habitant, qui à fratrum se solatio subtrahunt, & quod deterius est, fratribus insidias præparant, aut laqueos ponunt. Itè post pauca: Nos ergo qui discipuli domini, & dici, & esse cupimus, portare crucè domini, & compati fratribus debemus, & non quascunq; eis insidias aut foueas præparare: quia talionè meretur, qui fratribus foueam parat. Nolite errare, fratres, quia Deus non irridetur. Huius rei gratia vobis dominus commisit Ecclesiam suam, vt pro omnibus laboretis, & cunctis oppressis opem ferre non negligatis. Vnde & dominus per Prophetam loquitur, dicens: Hæc dicit dominus: Iudicate mane iudiciũ, & eruite vi oppressos de manu caluniãtis, ne fortè egrediatur quasi ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat. Vos ergo qui in summa specula à domino cõstituti estis, attendere eos, & opprimere oportet, qui in fratres seditiones & scandala excitant, ne simul cum eis pereatis.

*De episcopis qui se quasi canino dente inuicem
corroserint. Cap. CXXX.*

*Ex eisdẽ
ad eosdẽ,
cap. 18.*

SI verò, quod absit, discordes fueritis, & canino dente vos derodere cœperitis, non solùm eos non superabitis, sed & vobisipsi nocebitis, atque ab eis superabimini, & nocenter fortè peribitis.

De episcopis qui fratribus nocere desiderant. Cap. CXXXI.

*Ex decr.
Bonif. cõj
pape.*

Sicut omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo est: ita omnis qui odit proximũ, ex diabolo est. Dilectione enim sola discernitur quis, ex quo genitus approbetur, dicente Ioanne: In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non facit iustitiam, ex Deo non est, & non diligit fratrem suum. Quoniam hæc est annunciatio quam ab initio audistis, vt diligatis alterutrum. Et post paululum: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida, non habet vitã æternam in se